

Non intendimus autem, per præsentis tollere declarationes, et causarum terminationes, ac alia, quæ etiam respectu jurisdictionalium tam allodialium, quam feudalium præsertim in dictione temporali Sedis apostolicæ consistentium facta fuerunt huc usque, vel in futurum fient judicialiter vel etiam extrajudicialiter, causa tamen cognita in Romana curia per Rotam, vel Cameram, aut etiam per specialiter deputatam a Romanis pontificibus prædecessoribus nostris, vel a Nobis, seu a successoribus nostris congregationem, aut judicem: nec etiam tollere centenariam præscriptionem, concurrentibus de jure requisitis; nec immemorabilem, nisi in casibus, in quibus per sacros canones seu concilia universalia, vel constitutiones, ordinationes, aut dispositiones apostolicas illa reprobatur, seu illi derogatur, aut alias de jure illa non suffragatur, firma tamen, et illibata remanente *Bulla Cænæ Domini*, tam per Nos, et Romanos pontifices prædecessores Nostros publicata, quam in posterum a nobis et successoribus nostris publicanda quoad omnia, et singula, quæ in ea continentur.

« § 16. Volumus autem et apostolica auctoritate decernimus, ut eadem præsentis ad valvas basilicæ Principis Apostolorum, cancellariæ apostolicæ, ac in acie campi Floræ de urbe per aliquem ex cursoribus nostris publicentur, et affigantur, quæ sic publicatæ, et affixæ omnes, et singulos, quos concernunt, arcant, et afficiant, perinde ac si illorum unicuique personaliter intimatæ, et notificatæ fuissent.

« Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 5 junii 1641. Pontificatus nostri anno decimo octavo.

« Die 14 augusti, anno ut supra, pontificatus decimo nono, supra dictæ litteræ apostolicæ publicatæ, et affixæ fuerunt ad valvas basilicæ Principis Apostolorum, cancellariæ apostolicæ, et in acie campi Floræ urbis per me Dominicum Varesium S. D. N. Papæ cursorem, etc. »

275. *Onera, ad quæ ecclesiastici tenentur.* — Queritur III. Ad quæ onera teneantur clerici? Resp. Ad ea, quæ rei propter rem ipsam absque intuitu personæ possidentis constant et perpetuo ex natura rei, vel ex contractu, pactove inherent. Abb. in c. *Non minus*, h. num. 15. in fine et ibidem Fagnanus, num. 9; Pirhing, h. t. num. 56; Layman, lib. IV, tract. IX, cap. vi, num. 9, cum

communissima ac certa aliorum. Ratio est, « quia cum suæ quisque rei moderator atque arbiter existat, » l. *In re mandata*. 21. C. *Mandati*, potest eidem onus pro libitu imponere, ita transeat cum re ad quemvis possessorem. c. *Cum non sit*. 33. de *Decimis*. et c. *Ex literis* 5. de *Pignor*.

Inferitur, quod si ecclesia, vel alius locus pius, aut ecclesiastica persona emptione, mutatione, legato, aliove modo legitimo acquirat domum, agrum, prædium, aliamve rem, feudalem, vel emphyteuticam, aut res allodialis eidem in emphyteusim, vel feudum concedatur, teneantur ad onera ratione feudi, vel emphyteusis tali rei inhærentia? Pariter si quis dominus ex privata sua dispositione aliquam rem perpetuo onere gravavit, ita v. g. ut omnis futurus successor teneatur ad certam pensionem huic vel illi, pro hac vel illa causa præstandam, hoc vel illud onus portandum, etc. Tenetur ad hoc onus etiam ecclesia, ecclesiasticaque persona, si quando ad eam res transit. Rursus, si quis monasterio, ecclesiæ, aliive loco pio legat, donat, etc. prædium, domum, aut aliam rem hac conditione aut pacto, ut de eodem prædicio v. g. detur huic vel illi, ad hanc vel illam causam, etc. certa pensio: vel etiam ut de eodem solvatur principi consuetum ordinariam tributum prius de eodem solvi solitum, omnino ad tale tenebitur ecclesia, aliusque loco pius, vel rem accipere non poterit.

## § XI.

DE VIOLATORIBUS IMMUNITATIS: ET DE PœNIS VIOLANTIUM IMMUNITATEM REALEM, AUT PERSONALEM: AC DE SOLUTIONE AB EISDEM: UBI ETIAM DE STATUTIS, ET LEGIBUS CONTRA IMMUNITATEM ECCLESIASTICAM.

276. *Violatores immunitatis nulliter agunt.*

— Queritur I. Quas pœnas incurrunt violatores immunitatis realis, et personalis? Et quinam sint, ac dicantur immunitatis violatores, pœnam incurrentes? Resp. I. Præter gravissimum peccatum sacrilegii.

Prima pœna est, quod omnia eorum acta contra immunitatem sint nulla et irrita. Castro Palao, part. II, tr. II. Disp. un., punc. 9, num. 2; Covarruvias, Pract. qq. cap. xxxiii, num. 2, et communis aliorum. Patet; quia facta sunt ab eis, qui ad præsens jurisdictionem non habent.

277. *Violatores immunitatis tenentur ad res-*

*titutionem.* — Resp. II. Secunda eorum pœna est, quod teneantur restituere omnia, quæ ab ecclesiis, ecclesiasticisque personis, aut bonis earum exegerunt. Omnes. Patet, quia injuste acquisierunt; quidquid autem injuste acquiritur, restitui debet, per vulgaria; ergo: hinc donec restituant, et satisfaciant, absolvi non possunt, juxta dicenda infra numer. 293.

278. *Violatores immunitatis ipso facto sunt excommunicati.* — Resp. III. Tertia pœna est, quod incurrant ipso jure, et facto gratissimam pœnam excommunicationis. Omnes, ob clara jura, ut c. *Non minus* 4 h. t. ibi: « Sub anathematis distractione talia prohibemus, » cui concordat c. *Adversus*, 7. eod., et c. *Quanquam*. de *Censib.* in 6, ibi: « Excommunicationis sententiam ipso facto incurrat. » Concordat Clem. un. h. t. Extravag. *Quod olim*, eod. ac omnium maxime *Bulla Cænæ*, et bulla Urbani VIII.

279. *Violatores immunitatis quinam sint, et dicantur?* — Resp. IV. Violatores immunitatis sunt, et dicuntur ad hoc, ut pœnam excommunicationis incurrant omnes et singuli cujuscunque dignitatis etiam imperialis, regalis, ducalis, etc. existant, qui per se, vel per alios directe vel indirecte ecclesiis, ecclesiasticisque personis, aut bonis eorum tallias, vel collectas, seu exactiones quasunque imponunt, vel ab eis exigunt. c. *Non minus* 4. *Adversus*. 7. h. t. c. 1. h. t. in 6, juncta *Bulla Cænæ*, § 18, et Bulla Urbani VIII. *Romanus Pontifex*, § 6, etiamsi « prætextu honorum dominorum v. g. prædiorum, vel quarumcunque possessionum, quæ legitime acquisita jam habent, aut in futurum acquirunt, » cit. c. 1. eod. in 6. Idem qui pedagia, quidagia, tallias, aut vectigalia eidem imponunt, vel ab eis exigunt, etiam pro rebus propriis clericorum, c. *Quanquam* 4. de *Censib.* in 6. Et universaliter qui quasunque exactiones, aut onus quodcumque tandem, et quomodocumque nominetur (exceptis oneribus vere realibus, quæ rei propter rem sine respectu personæ possidentis inherent, juxta dicta num. 275.) ecclesiis, ecclesiasticis personis, aut bonis earum imponunt, seu exigunt ab eis, per jura citata præsertim vero per Bullam Urbani VIII, et Bullam Cænæ Domini, loc. cit.

280. *A sponte dantibus clericis recipientes, an et quando sint excommunicati.* — Resp. V. Non tantum illi, qui per se vel per alios directe vel indirecte præfatorum aliq. exi-

gunt, vel imponunt, atque imposita vi, minis, imperiis, terrore, aliove modo, ut prætentur, extorquent, sed etiam qui ea, quæ exegerunt, aut imposuerunt, a sponte dantibus, seu concedentibus recipiunt, non quidem virtute c. *Clerici*. h. t. in 6, ubi hoc expresse continetur (cum revocatum sit in Clem. *Quoniam*. h. t. et Extravag. *Quod olim*. eod. ibi: « Quoad pœnas ipsas, ex causa de concilio fratrum nostrorum restringimus ad exigentes tantummodo, et ad exigendum dantes auxilium, concilium, vel favorem; non autem quoad easdem pœnas in solventibus, aut recipientibus a sponte dantibus deinceps vendicet sibi locum. ») Sed vi novissimæ bullæ Urbani VIII, allegatæ n. 274, § 6, ibi: « Etiam a sponte dantibus, vel contribuentibus et *Bullæ Cænæ Domini*, § 18, ibi: « Aut sic imposita, etiam a sponte dantibus, et concedentibus recipiunt. » Notat tamen recte Pirhing, h. t. n. 94. per « recipientes a sponte dantibus », hinc intelligi illos, qui prius exactionem, aut aliud onus imposuerunt, et dein id, quod imposuerunt, a sponte (hoc est absque ulteriori vi, coactione, aut extorsione præter exactionem, aut impositionem) dantibus, aut concedentibus recipiunt: quod desumitur ex verbis Bullæ, ibi: « Aut sic. NB. imposita a sponte dantibus recipiunt. » Ut proin illi domini laici, pœnæ huic non subjaceant, qui recipiunt, quod eis clerici absque ulla prævia exactione, aut impositione sponte ac libere tribuunt. Atque in hoc sensu « a sponte dantibus » excommunicatos non esse recipientes intelligenda est Extravag. *Quod olim*, h. t. non item quod ab excommunicatione liberos velit illos, in priori sensu, videlicet prævia exactione aut impositione « a sponte dantibus aut concedentibus » recipiunt. Quod si contendas, etiam in hoc sensu recipientes, excommunicationi non subjacere, vi dictæ Extravag. *Quod olim*, h. t. dico, eam esse revocatam per *Bullam Cænæ Domini*, utpote legem posteriorem; cum lex nova seu posterior priorem sibi contrariam revocare censeatur, quamvis de ipsa mentionem non faciat, textu expresso c. 1. de *Constit.* in 6, et amplius diximus lib. I, tit. II, de *Constit.* § 19, num. 491.

281. *Consilium, favorem, vel auxilium ad id præbentes sunt etiam excommunicati.* — Resp. VI. Non tantum illi, « qui per se, vel per alios directe vel indirecte prædicta facere, ex qui, vel procurare, sed etiam qui in

eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscunque dignitatis, ordinis, conditionis, aut status sint, etiamsi imperiali, regali, ducali, etc. aut pontificali dignitate præfulgeant, violatores immunitatis ecclesiasticæ sunt, et ipso facto excommunicationi subjacent. » Ita in terminis *Bulle Cœnæ* § 18. cui concordat Extravag. *Quod olim* h. t. ibi : « et dantes auxilium, consilium et favorem, »

282. *Specificantur aliqui horum.* — Inferitur, non tantum supremos principes laicos per se vel per alios, exactiones et onera, ut præfertur, exigentes, sed etiam eorum ministros, et consiliarios, id consulentes, suadentes, aut iniqua adulatione approbantes, sicque faventes : item inferiores officiales, uti præfectos, aut locorum particularium iudices, per se vel per alios exequentes : item ipsos infimos servos, aut famulos, etiam lictores aut satellites, vel etiam milites directe vel indirecte exequentes, aut ad executionem juvantes excommunicationi ipso facto subjacere, eo quod hi omnes directe vel indirecte exequantur, vel saltem consilium, aut favorem, vel auxilium aliquid præbeant, quorum quodvis immunitatem violat, et excommunicationi subjacet, textu expresso citatæ *Bulle Cœnæ*.

283. *Enarrantur alii violatores immunitatis.* — Resp. VII. Insuper violatores immunitatis præsertim personalis existunt, et excommunicationi subjacent omnes et singuli, « qui per se vel per alios auctoritate propria, aut de facto quarumcunque exceptionum, vel aliarum gratiarum, et litterarum apostolicarum, prætextu beneficiales, et decimarum, ac alias causas spirituales, et spiritualibus annexas, ab auditoribus, et commissariis nostris, aliisque iudicibus ecclesiasticis avocant, illorumve cursum, et audientiam, ac personas, capitula, conventus, collegia causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam iudices interponunt. Quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, et faciunt, ad revocandum, et revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, et ad faciendum, vel consentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris, et pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias compellunt, et executionem litterarum apostolicarum, seu exequutorialium, processuum, ac decretorum prædictorum quomodolibet impe-

diunt, vel suum ad favorem, consilium, et assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, et Sede apostolica legitima prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint præsidentes cancelliarum, consiliorum, parlamentorum, cancellarii, vicecancellarii, consilarii, ordinarii, vel extraordinarii quorumcunque principum sæcularium, etiamsi imperiali, regali, ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut archiepiscopi, episcopi, abbates, commendatarii, seu vicarii fuerint. » Uti expresse statuitur in *Bulla Cœnæ Domini*, § 14, idem.

284. § 15. « Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque, personas ecclesiasticas, capitula, conventus, collegia ecclesiarum quarumcunque coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, concilium, vel parlamentum, præter juris canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, quovis quærito colore. Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmatikas, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, et quovis quærito colore, ac etiam prætextu cujuscunque consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, vel ordinaverint, et publicaverint, vel factis, et ordinatis nisi fuerint, unde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu nostris, et dictæ Sedis, ac quarumcunque ecclesiarum juribus quomodolibet directe, vel indirecte, vel expresse præjudicatur.

285. § 16. « Necnon qui archiepiscopos, episcopos, aliosve superiores, et inferiores prælatos, et omnes alios quoscunque iudices ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directe, vel indirecte carcero, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos, et affines, aut alias impediunt, quominus sua jurisdictione ecclesiastica contra quoscunque utantur, secundum quod canones, et sacræ constitutiones ecclesiasticæ, et decreta conciliorum generalium, et præsertim Tridentini, statuunt, ac etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias, et decreta, aut alias fori ecclesiastici iudicium

eludentes, ad cancellarias, et alias curias sæculares recurrunt, et ab illis prohibitiones, et mandata etiam pœnaria ordinariis, et delegatis prædictis decerni, et contra illos exequi procurant : eos quoque, qui hæc decernunt, et exequentur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, et favorem in eisdem.

286. « § 17. Quive jurisdictiones, seu fructus, redditus, et proventus ad Nos, et Sedem apostolicam, et quascunque ecclesiasticas personas ratione ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

287. « § 19. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et quoscunque magistratus, et iudices, notarios, scribas, executores, et subexecutores quomodolibet se interpretantes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processando, hanniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, et expressa hujus sanctæ Sedis apostolicæ licentia, quique hujusmodi licentiam ad personas, et casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam, abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint consilarii, senatores, præsidentes, cancellarii, vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati. »

288. Ita huc usque in terminis *Bulle Cœnæ* : quam sicut et alias constitutiones pontificias, et sacros canones pro immunitate huc usque allegatas plurimi hodie, utinam magis considerarent, et observarent, ne in continuo peccato mortali, et actuali excommunicatione existentes, et tanquam rejecta a corpore Ecclesiæ putrida membra sordescerent catervatim misere pereant, præsertim cum penitus nullus titulus excusans supersit juxta dicta n. 272, et seq. et dicenda in conclusione sequenti.

289. *A violatione immunitatis, et pœnis ejusdem nullus titulus, vel prætextus excusat.* — Resp. VIII. A præfatis pœnis, præsertim ab excommunicatione incurrenda nullum privilegium, nulla præscriptio, nulla consuetudo etiam immemorialis, nulliusque alius titulus excusat. Patet ex dictis supra n. 272, et etiam ex *Bulla Cœnæ Domini* § 24, et seq. dicitur namque in *Bulla Cœnæ* citata :

« § 24. Non obstantibus, privilegiis, indulgentiis, indultis, et litteris apostolicis generalibus, et specialibus supra dictis, ve eorum alicui, seu aliquibus aliis, cujuscunque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, et præeminentiæ fuerint, etiamsi ut præmittitur, pontificali, imperiali, regali, seu quavis ecclesiastica, et mundana præfulgeant dignitate, et eorum regnis, provinciis, civitatibus, seu locis a prædicta Sede ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, et sub quavis alia forma, et tenore, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriis derogatoriis, concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, et indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, et nominibus propriis, cognominibus, et dignitatibus eorum mentionem, necnon consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, et aliis quibusdam observantiis scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quominus includantur in eis, se juvare valeant, et tueri.

« § 25. Quæ omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omissis, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, et omnino revocamus, cæteraque contraria quæcunque. »

290. *Neque prætextus, quod constitutio aliqua non sit recepta, aut promulgata bulla Cœnæ quoad materiam immunitatis certo obligat ubique.* — Dices *Bullam Cœnæ Domini* non ubique esse receptam; consequenter saltem eam ubique non ligare; cum lex non recepta, vel non promulgata non obliget saltem in locis, ubi promulgata non est : juxta plures doctores cit. lib. I, tit. II, § 5, n. 125. Resp. I. Ut supra n. 86.

Resp. II. Dato non concesso, quod leges aliæ non obligent in locis, vel provinciis, in quibus non sunt promulgatæ : Cerium tamen est, quod a peccaminosa transgressione, ac pœnis sacrorum canonum, et constitutionum pontificiarum pro immunitate ecclesiastica editarum (inter quas vel maxime est *Bulla Cœnæ*) titulus sub prætextu legis non promulgatæ, aut non receptæ penitus nullum excuset, prout expresse statuit Urbanus VIII, in supra n. 274, allegata Bulla.

*Romanus Pontifex*, § 4, ibi : « Etiam sub prætextu, quod bullæ, seu constitutiones apostolicæ non fuerint publicatæ vel usu receptæ, aut contrario usu abrogatæ; » ut proin *Bulla Cænæ* etiam in provinciis, ubi promulgata non est, quoad ea, quæ pro immunitate ecclesiastica reali, ac personali disponit, certissime obliget, et vim suam habeat.

Infertur, quod laicis immunitatem violantibus nihil pro eorum defensione supersit, nisi passim vigentes pessimæ corruptelæ, necnon risus, contemptus, et explosio legum, et constitutionum pontificiarum pro immunitate facientium, per quod tamen minime excusantur, sed ad contemptum, et risum; hinc in *interitu eorum ridebit Dominus*. Prov. I, 26.

291. *Violatores immunitatis ecclesiasticæ a solo Romano pontifice absolvi possunt extra mortis articulum. In illo autem possunt alii, sed non nisi certo modo.* — Quæritur II. Quisnam a dictis pœnis absolvi possit? Resp. I. Extra articulum mortis nullus præter Romanum pontificem absolvi potest : Imo etiam in articulo mortis nullus absolvi potest, nisi violatores prius cautionem præsentent, quod satisfacere, seu restitutionem facere, et mandatis Ecclesiæ stare velint, et similia ulterius non facere serio proposuerint. Ita clare statuitur in citata *Bulla Cænæ* § 21, ibi :

§ 21. « Cæterum a prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiæ mandatis, et satisfaciendo cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, et indultorum quibuscunque personis ecclesiasticis sæcularibus, et quorumvis ordinum mendicantium, ac militarium regularibus, etiam episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque ordinibus, et eorum monasteriis, conventibus, et dominis, ac capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus, et locis piis, necnon laicis, etiam imperiali, regali, et alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, et dictam Sedem ac cujusvis concilii decreta, verbo, litteris, aut alia quacunque scriptura in genere, vel in specie concessorum, et innovatorum, aut concedendorum, et innovandorum. »

Notandum tamen, eum, qui cautionem facere non potest, absolvi posse, dummodo

firmiter proponat, ac promittat, quod Ecclesiæ mandatis stare, ac pro viribus satisfacere et restituere velit.

292. *Absolvens violatorem immunitatis est excommunicatus.* — Resp. II. Omnis absolutio per alium, quam Romanum pontificem, extra mortis articulum, vel etiam in illo, sed non juxta tenorem præfatum facta, non tantum est nulla, sed etiam graviter peccaminosa, ac insuper absolutem excommunicationi subjicit. Ita expresse *Bulla Cænæ*.

§ 22. « Quod si forte aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, et anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutio beneficii impendere præsumperint, eas excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter, et temporaliter, prout expedire noverimus, processuri. »

293. *Absolutio etiam a Papa data, non valet, nisi prius satisfaciant : et quomodo?* — Resp. III. Nulla absolutio etiam per Romanum pontificem facta, violatoribus immunitatis suffragatur, « Nisi prius a præmissis, cum vero proposito ulterius similia non committendi destiterint, ac quoad eos, qui contra ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fuerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones pragmaticas, et decreta hujusmodi publice revocaverint, et ex archiviis, seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri : et cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutioem, aut quoscunque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, et tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum quantumcumque tempore continuatam in præmissis omnibus, et singulis, ac quibuscunque juribus Sedi apostolicæ, ac S. R. E. undecumque, et quocumque quæsitis, vel quærendis nullatenus præjudicare posse, ac debere. » Ita *Bulla Cænæ* § 23.

294. *Facientes statuta, decreta aut constitutiones contra immunitatem sunt excommunicati et absolvi non possunt, donec ea publice revocent.* — Quæritur III. Quid juris de principum, et dominorum sæcularium statutis, ordinationibus, constitutionibus pragmaticis, decretis contra immunitatem ecclesiasticam factis? Resp. I. Omnia hujusmodi statuta, constitutiones, seu decreta esse nulla et

irrita, facientes vero eadem, violatores immunitatis existere excommunicationi ipso facto subjacere, juxta § 15, *Bullæ Cænæ*, quem habes n. 283, a qua absolvi non possunt, imo etsi absolvantur, absolutio non valet, « Nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones pragmaticas et decreta hujusmodi publice revocaverint, et ex archiviis, seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, cassari, ac Papam de revocatione » hujusmodi certiores fecerint : uti expresse statuitur in *Bulla Cænæ* cit. § 23, n. 293, allegato.

295. *Pœnæ divinæ gravissime, contra facientes constitutiones, et statuta immunitati adversa.* — Resp. II. Præter gravissimam excommunicationis pœnam, etiam Deus gravissimas et universales infligit pœnas, ob leges et statuta in aliqua provincia contra immunitatem ecclesiasticam factas, prout notant doctores communiter, et misera docet experientia. Placet hic afferre, quod habet Diana, p. V, tract. I, *Resolut.* 23, § *Et tandem docet*, et valde notandum est a iudicibus laicis. « Vellem inquit, unum ab ipsis considerari, videlicet calamitates, bella, fames, pestilentias, et alia id generis in regnis evenire ex statutis contra libertatem ecclesiasticam. Testis hujusce veritatis sit Basilius imperator Nicephori Phocæ successor, qui contra ejusdem Nicephori statutum in hæc verba sancivit. Divinitus constituta, majestas nostra, cum et a monachis, quorum testata pietas atque virtus est, et ab aliis multis cognoverit legem a domino Nicephoro, qui ad imperium pervenit, de ecclesiis Dei, religiosisque latam, tum præsentium malorum, tum universalis hujus eversionis, atque confusionis causam et radicem extitisse. Nam ex quo lex illa robur habuit, nihil boni penitus in hodiernum usque diem vitæ nostræ contigit, sed potius contrario nullum omnino genus calamitatis intermisit, statuit per auream hanc Bullam. cui subscripsit, indicatam ab hoc præsentis die cessare debere, ac deinceps irritam, nullius momenti manere, conditis ante illam legibus, tam de ecclesiis, quam de religionis domibus, vim roburque suum obtinentibus. » Hactenus Basilius imperator, ut patet apud Betsamonem in *Nomocanone Phocæi*, et Leunclavium, tom. I, lib. II, *Jur. Orient.*

Nec desinam hic apponere id quod notat illustrissimus, et doctissimus archiepiscopus

Bracharensis Acuncha in *Decret. Gratiani*, cap. *Si gens Anglorum*. 40, dist. 56; Barbosa, in *Jure Eccles.* lib. I, cap. xxxvi, § 2, n. 200; Franciscus Longus, in *Breviar. Chronol.* anno Domini 704; Chokier, in *Vindictis libert. Eccles.* p. I, cap. xxxiii, n. 23, et ante illos cardinalis Baronius anno Christi 701, nempe, olim Deum florentissimum regnum Hispaniæ Mahometanis et Mauris tradidisse, non quia in fide (semper enim Hispani fideles) sed quia in jurisdictione a sancta Sede apostolica defecerant. Unde intelligant principes (subdit Baronius) quam male sibi, suisque regnis consulant, qui Ecclesiæ jura tollere, vel imminuere conantur, quod ipsum repetit rursus aliis in locis anno 1100, n. 34, item 1104, n. 14, et 1158, n. 47, ubi ostendit principes opprimendo ecclesiasticam jurisdictionem, regnorum suorum interitum et amissionem accrescere.

Igitur principum consilarii, si desiderant regna stabilire, et ab eis calamitates arcere, consulant regibus, ut imitentur Basilium, nihilque contra libertatem ecclesiasticam constituent, sed si quæ constituta sunt, abrogent omnino, et in conflictu opinionum illam sequantur, quæ magis favet ecclesiæ.

Quid juris autem de statutis, et legibus laicorum quoad clericos, vide lib. I, tit. III, § 13 et 14. (ADNOTATIO LXI.)

## TITULUS L.

Ne clerici, vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

1. *Ratio continuationis.* — Postquam in præcedentibus dictum est, quid clericis vel monachis, eorumque statui competat; recte subjungitur, quæ eisdem sint prohibita, statumque eorum dedeçant, sæcularia nempe negotia, utpote quæ mentem a divinis abstrahunt, contemplationem impediunt, spiritum devotionis extinguunt, curisque et sollicitudinibus variis intricant etc. ut proin c. 1. h. t. ad finem, ex Apostolo II *Ad Timoth.* n. 4, bene dicatur : *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*, et I. *Placet.* 47. C. de *Episc. et Cleric.* « Nihil commune clerici cum publicis actionibus, vel ad curiam pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi, habeant. » Cæterum titulus hic ultimus libri I'